

ex ipso conceptu, et intrinseca ratione potentiae receptivæ non præcedit esse, nec requiritur, nisi concomitanter, non est ratio cur dicamus non posse dari potentiam receptivam ipsius existentiae, ita quod in re semper habet existentiam acceptam ex aliquo sibi superaddito, per cujus concomitantiam existit, ratione autem potentialitatis recipit, et sic quodcumque produciatur aliqua res extra suas causas non repugnat intelligere, quod interveniat ibi duplex entitas alia ipsius rei, quæ existit recipiendo, altera, quæ sit ratio existendi tamquam actualitas dans esse.

XII. Restat nunc ostendere, quod hoc quod sic dicimus possibile, ostendatur etiam de facto sic necessario ponendum. Et hujus ratio, et fundamentum ex eo sumitur, quia existentia est prædicatum reale conveniens contingenter tam essentialiter, quam omnibus ejus partibus, et prædicatis, nullum enim est, cui quidditative conveniat existentia, vel cum eo habeat connexionem necessariam, existentia enim solum provenit ex ipsa productione extrinseca agentis sine alio fundamento in natura creata, quam quod habeat in eo capacitatem, ut recipiatur, ergo necessario debet distinguari a parte rei ab ipsa essentia. Antecedens est satis notum, nam quod sit prædicatum reale manifestum est, cum nihil tam reale sit, quam ipsa existentia per quam aliquid realiter est extra causas, et distinguitur ab eo, quod est tantum per rationem. Quod autem contingenter conveniat etiam est per se notum, cum nunquam possit fieri propositio æternæ veritatis, et connexionis per se existentiae cum creatura. Consequens vero patet, quia impossibile est, quod aliquid realiter conveniens alicui sit idem cum illo, et non habeat connexio-

nem necessariam cum eo neque cum aliquo tertio, quod cum illo componat, nil enim magis conexum est quam idem sibi ipsi, unde si existentia est identificata cum aliquo, non potest ei advenire per extrinsecam participationem, sed debet per intrinsecam identitatem convenire, quod si per identitatem, ergo per connexionem.

XIII. Nec potest dici, quod bene stat aliquid prædicatum accidere alicui, et tamen identificari cum illo, sicut rationale accedit animali, et tamen identificatur cum illo, quando invenitur in homine. Contra hoc enim instat D. Thomas quodl. II, ar. IV ad I: « Quia dupliciter, inquit, aliquid accedit alicui, uno modo ut determinativum alicujus principii essentialis, licet in ejus definitione non cadat, sicut rationale accedit animali, alio modo, quia neque est de ejus definitione, nec determinativum alicujus principii essentialis, sicut albedo accedit homini, et hoc secundo modo existentia accedit rei. » Quare impossibile est, quod aliquid sit identificatum cum aliquo, et prædicetur de illo contingenter, et accidentaliter, nisi sit determinativum essentialiter illius, licet non sit de ejus conceptu formali. Et ita hæc propositio instari non potest, quod omne quod est identificatum cum aliquo vel est de ejus conceptu formali essentialiter, vel est determinativum illius essentialiter, et constitutum cum illo alicujus tertii, sicut rationale licet non sit de conceptu formali animalis, est tamen formale, et essentialiter determinativum ejus, et constitutum hominis cum animali, et ita ubi est identificatio necessario est essentialis connexio, vel ad constituendum ipsum; vel ad constituendum cum ipso aliquid tertium, et determinandum, et contrahendum ipsum; cum quo identi-

ficatur. Quod autem neque essentialiter connexionem habet constituendo aliquid, neque determinando ipsum, aut constituendo cum eo aliquid tertium nullo modo identificatur cum illo, quia omnis identificatio connexionem aliquam postulat per se, et essentialiter cum illo, cum quo identificatur, nihil enim potest sibi ipsi contingenter, et accidentaliter convenire. Cum ergo existentia ita comparetur ad essentiam, quod neque constituat ipsam tamquam essentialiter prædicatum, neque essentialiter determinet ipsam, ut constituat cum ea aliquid tertium, quia nulli rei creatæ convenit existentia per se, et secundum connexionem essentialem, manifeste deducitur non identificari cum essentia aliqua creata, quia si tollitur omnis connexio essentialis, tollitur omnis identificatio realis, et consequenter debet recipi tamquam aliquid distinctum in essentia.

XIV. Dices hæc omnia probare quod distinguitur existentia realiter ab essentia objective sumpta, et in statu possibilitatis non ab essentia actuali, quia hæc hoc ipso quod est actualis, etiam est extra causas, et consequenter jam intelligitur includere in suo conceptu existentiam: unde actualis entitas non potest concipi sine existentia, antequam vero sit actualis est in statu possibilitatis, et sic nihil est, ergo nunquam essentia sumitur, ut aliquid reale positivum, et extra nihil, et quod sit distincta ab existentia. Cæterum hæc objectio valde laborat in æquivoco, ut supra jam notavimus, et sibi contradicit nimium probando, nam juxta illam in nullo statu verificari potest quod existentia accidentaliter conveniat essentiae, ut patet applicando idem argumentum. Nam vel essentia sumitur intra causas, et in statu possibilitatis, vel extra causas, et in statu actualitatis. Si primo

modo, existentia non convenit accidentaliter, quia falsificatur de illa, opponitur enim status existendi statui possibilitatis, et sic falsum est dicere quod essentia possibilis existat, ergo non prædicatur de illa accidentaliter. Si secundo modo sumatur, jam ergo est de conceptu essentiae actualis ipsa existentia, nam si ideo identificatur existentia cum essentia actuali, quia præsupponitur essentia actualis extra causas, et sic non potest prædicari de essentia actuali, nisi cum identificatione, ergo necessario debet dici quod prædicatur de illa essentialiter, quia de re existenti dicere quod est existens, essentialis conceptus est si est identicus, si quidem in tantum identificatur in quantum dicitur de essentia, ut actuali, et existente. Laborat autem in æquivoco, quia quando prædicamus existentiam de essentia actuali, vel potest reduplicari ratio status actualitatis, vel solum specificative teneri ratio essentiae, quæ statui illi actualitatis subest. Si reduplicet statum, propositio essentialis redditur, quia fit sensus, quod in quantum actualis, seu existens est existens. Si vero sumatur specificative tantum sic prædicatur accidentaliter existentia de ipsa essentia, etiam quando actualis est, sicut quando dicitur homo albus, ly albus prædicatur de homine in quantum subest albedini, non enim de homine separato ab albedine potest verificari, et si ly in quantum faciat sensum reduplicativum propositio essentialis erit, quia est sensus, homo in quantum albus est albus. Si autem sumatur specificative prædicatio est accidentaliter de homine, licet non verificetur de illo, nisi quando subest albedini. Idem dicendum est de existentia respectu essentiae actualis.

XV. Quod si inquiras, cur non



sufficiet ad hoc ut res dicatur existens quod sit subjecta agenti, seu producta sine alio superaddito, vel saltem cur non sufficiet dependentia ab agente, quæ est quædam relatio, ut dicatur res existens ratione talis dependentiæ, non ratione alterius formæ, seu actualitatis superadditæ, respondetur quod rem esse productam ab agente, vel sumitur pro aliqua ratione intrinseca denominante, et hoc intrinsecum vocamus existentiam, est enim ejus effectus formalis ponere rem extra causas in facto esse. Vel sumitur pro aliqua denominatione extrinseca, quatenus res intrinsece denominatur producta, et hoc non sufficit ad hoc, ut dicatur existens, quia rem esse existentem non potest esse extrinseca denominatio, nihil enim magis intrinsece denominat, quam ipsum esse, quod intime imbibitur in unaquaque re reddendo illam *realem, et positam extra causas a parte rei*, et ideo requiritur aliquid intrinsecum quo res formaliter reddatur existens. Sola autem dependentia non sufficit, si quidem hæc dependentia est relatio, tum quia existentia maxime dicitur a se, cum etiam ipsa relatio non dicatur existens per rationem *mad*, sed per rationem in: tum quia illa relatio dependentiæ debet esse realis, ergo requirit fundamentum absolutum, et hoc non potest esse essentia sumpta solum pro prædicatis quidditativis, sic enim sunt æternæ veritatis, et tamen non fundant existentiam æternam, ergo debet esse aliquid superadditum, et de novo participatum ab agente, et hoc vocamus existentiam.

EXISTENTIA NON EST MODUS, SED  
REALITAS.

XVI. Rejicienda in primis est aliorum opinio qui existimant esse

accidens reale prædicamentale, scilicet durationem, quam dicunt pertinere ad prædicamentum quando, ut sentit Molina hic art. iv, disput. ii. Sed obstat huic positioni manifesta ratio, quia accidens prædicamentale sustentatur a subjecto, eique inhæret, ergo supponit in subjecto existentiam, et esse in actu, accidens enim inhærens dat esse secundum quid, et sustentatur ab esse simpliciter quod est esse substantiale, ergo repugnat quod ipsum primum esse substantiale sit accidens inhærens, id est, sustentatum ab aliquo esse simpliciter. Et præterea accidens non potest dare, nisi esse accidentale, et inhærens, ergo si ipsum primum esse substantiæ est accidens, substantia haberet primum esse suum accidentale, et sic esse substantiale erit esse accidentale, quod repugnat. Relinquitur ergo quod existentia debet esse *aliqua formalitas, seu realitas substantialis* non tamen tanta, quod sit prædicatum essentiale, et constitutum essentia, aut pertinens directe ad prædicamentum. Quod ex supra dictis patet, quia existentia convenit naturæ jam totaliter constitutæ, et accidit: illi non autem pertinet ad prædicatum essentiale, nec potest se habere ut gradus, vel differentia, aut aliquid intrans constitutionem quidditatis, alias posset fundare propositionem æternæ veritatis, et res esset existens ab æterno, et necessario, ergo non potest esse prædicatum directe pertinens ad prædicamentum, nec tamquam genus, nec tamquam species, vel differentia, si quidem toti naturæ jam constitutæ superadditur.

XVII. Restat ergo videre, an sit realitas superaddita essentiæ, vel modus. In quo idem controvertitur, quod de subsistentia, et eisdem fere fundamentis potest procedi. Quidam tenent solum distinguere tamquam

modum ab essentia, ut magister Soto, ii physicor. q. ii, quem multi sequuntur. Alii tenent distinguere ab essentia tamquam rem a re, quod multo probabilius censet magister Bagnèz, i p. q. iii, art. iv, dub. ii et citat pro hac sententia Capreolum, Cajetanum, Ferrariensem, Soncinatum et alios. Et utrumque probabiliter defenditur in schola Thomistarum. Mihi tamen videtur juxta principia D. Thomæ loquendo, majorem aliquam distinctionem ponendam inter existentiam, et essentiam, quam inter subsistentiam et naturam. Et si magis inclino in hanc sententiam, quod existentia addit realitatem ejusdem generis cujus fuerit existentia et ad illud prædicamentum reductam, scilicet si est substantia substantialem, si accidens accidentalem, si modus modalem. Quæ est sententia Cajetani de ente, et essentia, q. xi ad iv et ad iii.

XVIII. Moveor ad hoc, quia in primis est expressa Div. Thomæ, opusculo XLVIII, tract. de substantia, cap. ii, ubi inquit: « Quod existentia et essentia differunt realiter, ut duæ diversæ res. » Deinde, quia reperio in D. Thomæ discrimen inter existentiam, et subsistentiam, quod de existentia absolute dicit, quod componit cum essentia etiam in substantiis immaterialibus, in quibus negat compositionem ex subsistentia, et natura, et tamen in illis fatetur suppositum, et naturam aliquo modo distinguere quodl. ii, art. iv. et nos supra art. i. deduximus distinguere subsistentiam a natura tamquam modum, ergo secundum D. Thomam aliqua major distinctio est existentia ab essentia quam subsistentia a natura, nam ubi est major compositio oportet quod sit major distinctio extremorum. Inter essentiam autem, et esse absolute pronuntiat D. Thomas dari compositionem tam in rebus materialibus, quam immaterialibus:

ergo absolutam distinctionem supponit inter essentiam, et esse. Hanc autem compositionem dari fatetur locis supra allegatis in hoc articulo. Item D. Thomas absolute docet existentiam differre ab essentia, et esse aliud ab ipsa, quod affirmare non solet in his, quæ modaliter tantum distinguuntur, sed solum dicit, quod aliquo modo distinguuntur, sicut de supposito, et natura dicit quodlib. ii citato. De existentia vero absolute docet, quod differt ab essentia, ut in eodem quodlibeto ii, iii et ii contra gen. cap. lxx et in ii sent. dist. iii, qu. i, art. i et aliis locis supra allegatis. Et hoc maxime ponderat quantum ad mentem D. Thomæ, quia hoc modo loquendi utitur quando distinctionem realem intelligit, scilicet absolute dicere, quod differunt, non vero aequaliter et aliquo modo, quod explicat distinctionem modalem.

XIX. Deinde, sumitur ratio ex duobus, quæ existentia attribuntur, quæ maxime videntur petere realitatem, et non sufficere formalitatem modalem. Primum, quod existentia est ultima, et summa actualitas respectu omnis entitatis, quæ potest existere, ipsa autem ulterius actuari non potest: non videtur autem tanta perfectio soli modali entitati attribuenda, quia modus est infimum inter entia. Secundum, quod existentia est ipsa ratio omnis realitatis, dicitur enim unumquodque ens reale per ordinem ad esse, vel quia habet esse, et remota existentia remanet nihil, seu intra causas: inconueniens autem videtur, quod prima ratio totius realitatis, et per ordinem ad quem omnia dicuntur realia non sit realitas, sed modus. Et quidem primum, scilicet, quod existentia est ultima, et maxima actualitas amplius ostenditur sequenti articulo ubi agemus de perfectione existentia, et interim videri potest



D. Thomas, q. vii de potentia, art. ii dicit, ubi dicit: « Quod esse est actualitas omnium actuum, et perfectio omnium perfectionum, et nihil est eo formaliter, » et idem habet i p. quæst. iv, art. i in corpor. et in quæst. de anim. art. vi ad ii dicit: « Quod essentia est actus primus, existentia vero actus secundus. » Et opusc. xv, cap. viii circa finem dicit: « Quod forma subsistens est actus, qui est forma participativa ultimi actus, qui est esse. » Et ratio est quia omnia sunt in potentia ad esse, et omnis potentialitas consistit in carentia alicujus esse: in tantum enim aliquid est in potentia, in quantum non habetur in actu, et in esse id quod potest habere, reducit in actum per hoc quod redditur illud existens, et extra causas, ergo ipsum esse existentiae respectu omnis entitatis habentis potentialitatem est actus, et sic est maxima actualitas. Et licet conveniat omni enti, tamen convenit ei in quantum perfectionem dicit, et ut removens potentialitatem ejus, et sic semper salvatur, quod existentia comparata ad essentiam cujus est, ipsam perficit, et potentialitatem ejus tollit, et sic est perfectior illa, ut infra amplius dicitur.

XX. Secundum vero, quod diximus attribui existentiae satis de se manifestum est, cum constet in tantum aliquod ens dici reale, in quantum potest habere existentiam, et tunc actu est extra nihil quando est existens, ergo sine existentia non datur realitas, quia quod est nihil non est reale, igitur prima ratio realitatis separantis, et distinguentis a nihilo est existentia. Inconveniens ergo videtur, quod quando entitas non est modus, sed realitas prima ratio, et fundamentum realitatis sit modus.

XXI. Ex hoc autem explicatur differentia inter subsistentiam, et exis-

tentiam quantum ad hanc partem quod subsistentia dicat modum existendi constituendo rem incommunicabiliter, et per se existentem, perseitas autem, et incommunicabilitas important modum quia contraponuntur communicabilitati partis, et inhærentiæ accidentis, communicabilitas autem in parte pertinet ad modum essendi, id est, ad statum ipsum partis non ad entitatem: inhærentia similiter pertinet ad modum essendi ipsius accidentis per quem actu dependet a subjecto, ergo subsistentia per quam aliquid extrahitur a statu partis, et accidentis, et constituitur in statu substantiæ totalis, et completæ etiam pertinet ad rationem modi, quia contraponitur modis essendi partis, et accidentis. Similiter ipse effectus subsistendi, qui est ultimo terminare naturam magis pertinet ad modum, quam ad realitatem sicut terminus in quantitate per figuram et situm pertinet ad rationem modi, et generaliter omnis terminatio magis pertinet ad statum, et modum se habendi quam ad realitatem aliquam participandam. At vero existentia licet sit ultimus actus, non tamen ordinatur ad dandum naturæ statum, et modum ipsum terminationis incommunicabilis, sed ad dandum rationem realitatis extra causas, et formalitatem, seu actualitatem potentialitatis, ideo enim dicitur actus ultimus, quia formalissimus; subsistentia autem dicitur ultimus non quia maxime perfectus, et formalis, sed quia incommunicabilitatem, et terminationem, seu ultimam præbet naturæ, quod pertinet ad statum, seu modum essendi, scilicet esse cum incommunicabilitate. Itaque ultimum per modum terminationis incommunicabilis, et ultimum per modum actualitatis, et formalissimi actus, ita distant, quod unum pertinet ad mo-

dum, seu statum, aliud ad realitatem, et maximam actualitatem.

XXII. Dices: Quomodo ergo suppleri potest a Deo existentia humanitatis in Christo per existentiam Verbi in sententia Sancti Thomæ, si existentia non se habet per modum terminantis sicut subsistentia, sed per modum informantis sicut actus, et forma. Respondetur quod existentia hoc ipso, quod est actus ultimus, et perfectissimus in actuando non informat constituendo naturam, sed per modum terminationis pure perficiendo etiamsi sit realitas, et non modus, nam existentia datur ad ponendum naturam aliquam extra causas, et sic supponit ipsam constitutam in sua quidditate, et sic non se habet, ut pars illius, aut prædicatum constituens, alioquin per se connecteretur cum natura, et non contingenter conveniret. Quare existentia, ita est forma actuans, et perficiens, quod per se perficit, et non constituit, et talis forma potest a Deo suppleri, etiamsi sit realitas, et non modus, ut patet in specie intelligibili, Deus enim per se ipsum intelligibiliter informat intellectum beati, quia informatio intelligibilis non datur ad constituendum aliquam tertiam naturam cum intellectu, sed pure ad perficiendum ipsum in illo genere intelligibili, ut docet S. Thomas, iii contra gentiles, cap. li et nos infra explicabimus, disput. xiii. Itaque omnis informatio formæ quæ se habet ut pars in constituendo aliquam naturam sive substantialem, sive accidentalem repugnat Deo, quia pars involvit imperfectionem respectu totius, eo quod omne totum est majus sua parte, et omnis pars minor toto, nihil autem potest esse majus Deo: forma autem, quæ non informat, ut pars sive inhærens, ut accidens, sive informans, ut forma substantialis, sed se habet tamquam

actus complens ipsam totalitatem rei constitutæ vel determinans illam, et potius ad sui consortium, et participationem trahens aliud extremum, quam ipse actus, seu forma trahatur ad constitutionem alicujus tertii, talis modus actuandi, et determinandi non repugnat Deo, quia est forma pure perficiens, et non constituens, et pure perficere non repugnat Deo etiam formaliter, ut dicit D. Thomas, loco citato, quia non tam est informare quam terminare. Existentia autem est forma, seu actus totius non ordinata ad constituendam aliquam naturam, sed ad determinandam, et ponendam extra causas rem constitutam, et ita est actus totius, seu suppositi, ut docet D. Thomas, iii part. q. xvii, art. ii et sic ubi ponitur suppositum extraneum, ponitur etiam existentia extranea, quæ est propria talis suppositi. Quare licet existentia non terminet tamquam modus, sed tamquam vera, et propria realitas, tamen quia est actus ultimus per modum complentis, et terminantis, non autem constituentis naturam, et sic actuatur pure perficiendo, et terminando potest suppleri a Deo sicut et ipsa subsistentia, quæ est terminus naturæ, et sicut species intelligibilis, quæ terminat intellectum.

*Solvuntur argumenta.*

XXIII. Primo, arguitur fundamento p. Vazquez, iii part. quæst. xvii, disput. lxxii, cap. ii, nam in his in quibus nobis non constat unum realiter separari ab alio, vel per divinam potentiam posse separari non potest constare, quod distinguatur realiter, sed potius quod identificentur, quia sola separatio est indicium realis distinctionis, sed essentia, et existentia separari non pos-



sunt, nam de existentia manifestum est, quod stare non potest sine essentia, sic enim nihil redderet existens, et productum, implicat autem intelligi productum in facto esse, quod est existentia, et quod nihil sit productum. Similiter essentia sine existentia stare non potest, quia sine existentia nihil est actu nisi intra causas. Et licet essentiæ ab æterno multa prædicata necessaria attribuuntur, tamen ea non dicuntur de essentia, per copulam est denotantem existentiam, sed solum connexionem vel convenientiam.

XXIV. Secundo, arguitur fundamento patris Suarez in metaph. disputat. xxxi, section. 1, nam existentia est id quo res dicitur esse in actu, et extra nihil; ergo antecederet ad existentiam res est nihil, utpote non actualiter, neque realiter ens extra causas, ergo non potest distinguere realiter ab existentia tamquam duplex realitas positiva, sed ut nihil, et ens, quia hoc ipso, quod condistinguitur essentia ab existentia, reducitur ad nihil, condistinguitur enim ab eo, quod est poni extra causas, et sic manet intra illas. Nec potest dici, quod essentia dicitur ens reale, quia habet potentiam ad recipiendum existentiam, et illa capacitas constituet essentiam realem. Contra enim est, quia essentia non recipit existentiam materiali receptione, et in potentia subjectiva, sicut lapis recipit albedinem, vel calorem, sed dicitur esse in potentia ad existentiam quasi in potentia objectiva, quia potest per virtutem agentis reddi existens, et hoc non requirit distinctionem actus a potentia, eadem enim res, quæ modo est in potentia fit in actu per hoc quod ab agente producitur in actu, non per hoc quod distinctam realitatem recipit.

XXV. Tertio, arguitur quia essentia cum dependentia ab agente suffi-

cienter intelligitur producta in facto esse, ergo existens. Consequentia patet, quia nihil aliud est existentia, quam res in facto esse poni extra causas: antecedens constat, quia ut res dicatur produci in fieri sufficit, quod dependeat ab agente in ipso fieri, et in fluxu, ergo ut sit producta in facto esse sufficit, quod in facto esse dependeat, et sic existentia non addet supra essentiam, nisi dependentiam ejus ab agente, quæ est relatio quædam, non vero aliquam realitatem absolutam.

XXVI. Quarto, quia alias daretur relatio realis inter existentiam, et essentiam, quia distinctio, quædam relatio realis est, non potest autem inter utrumque esse relatio realis, quia essentia ut distincta ab existentia non recipit relationem, nec potest illi dare esse, aut sustentare, nihil enim sustentat accidens in actu nisi mediante existentia.

XXVII. Quinto, quia esse est effectus formalis formæ, forma enim est quæ dat esse rei, effectus autem formalis non distinguitur a forma, ergo neque existentia, seu esse distinguitur ab ipsa forma. Et omnia fere argumenta, quæ tangunt istam materiam distinctionis inter existentiam, et essentiam vim faciunt in illo principio, quia essentia sine existentia est nihil, non est entitas realis, neque actualis, ergo non potest distinguere realiter ab existentia, neque illam realiter recipere, aut componere cum illa, vel alia similitatem inter extrema postulant. Imo essentia non alio modo terminat generationem, quam existentia, quia terminus generationis est essentia, ut existens; et non ut antecederet se habens ad existentiam, ergo non distinguuntur realiter si quidem eodem modo, et eadem generatione producuntur.

XXVIII. Denique, addi possunt ar-

gumenta apud Cajetanum, libro de ente et essentia q. x, quæ vel probant non distinguere essentiam ab existentia, quia essentia de se est nihil, et existentia etiam de se est indifferens ad esse vel non esse, cum non semper detur existentia, vel probant non dari compositionem inter essentiam, et existentiam, quia essentia est in potentia ad se ipsam in actu, idem autem in potentia non componit cum se ipso in actu, nec ex essentia, et existentia potest fieri unum per se, quia illud tertium etiam indigebit existentia, et consequenter iterum distinguetur existentia ab illo tertio, et sic rursus procedetur in infinitum. Ad hæc ergo fere reducitur tota vis rationum probantium non distinguere essentiam ab existentia. Et hæc eadem fere procedunt ad probandum, quod non distinguitur essentia ab existentia tamquam duæ realitates, sed ut modus, et res quia hæc distinctio sufficit ad verificandum omnia illa, quæ de existentia, et essentia dicuntur: ergo nihil amplius requiritur.

XXIX. Ad primum respondetur quod etiam in his, quæ realiter videmus separari manente uno sine altero, adhuc potest investigari distinctio realis ex aliquibus effectibus, et prædicatis, quæ distinctionem realem postulant, nam etiam non constat nobis intellectum, vel voluntatem posse separari, et conservari separata ab anima, et tamen distinctionem realem eorum ex sufficientibus effectibus, et rationibus invenimus. Dico ergo quod in primis potest essentia separari non ab omni existentia, sed ab hac vel illa determinate, et suppleri existentia creata per divinam sicut suppletur subsistentia in Christo, cujus distinctionem a natura hoc ipso sufficienter colligimus, quia est humanitas in Christo sine propria personalitate terminata per personalita-

tem Verbi. Similiter ergo cum in sententia Div. Thomæ humanitas Christi existat per existentiam in creatam Verbi, ut modificatam ipsa personalitate Verbi, consequenter dicendum est distinguere posse existentiam, et essentiam, non quia existentia maneat separata, sed quia consumitur, vel impeditur propria existentia manente essentia sub aliena existentia, scilicet sub divina, hoc enim sufficit ad inveniendam distinctionem inter unum, et aliud, sicut invenitur inter subsistentiam, et essentiam, licet major realitas sit essentiæ, quam subsistentiæ ob rationes supra allatas. Denique, licet reparatio unius ab alio sit maximum signum distinctionis realis, non tamen solum, sed etiam ubi non est separatio potest esse distinctio, si alias invenitur sufficiens fundamentum non habendi connexionem essentialem inter se, sed solum accidentalem, et contingentem, et præsertim, quia existentia provenit a principio extrinseco realiter distincto ab essentia, scilicet ab agente cujus productio in facto esse constituit existentiam. Et ita si impediretur a Deo una existentia, resurgeret altera ex vi productionis in variata essentia, quod est sufficiens signum distinctionis a parte rei. Neque ad istam instantiam respondet Vazquez aliquid quod egeat impugnatione, licet afferat illam.

XXX. Ad secundum respondetur concedendo, quod existentia est id quo res ponitur extra nihil, et extra causas. Et cum infertur quod antecederet ad existentiam est nihil, nec potest reali distinctione distinguere, respondetur quod si ly antecederet sumatur præcisive et abstractively separando scilicet existentiam, fatemur quod essentia manet nihil, et non est extremum distinctionis realis, sicut nec Petrus a Paulo possibili distinguatur realiter. Si vero